

## Philosophia A

Si qua vera philosophi dixerunt, ab eis sunt tamquam ab iniustis possessoribus vendicanda in usum nostrum.

Augustinus libro 2. de doctrina Christiana.

## Philosophia B

Non est religio a philosophis querenda, qui eadem sacra recipiebant cum populis et de suorum deorum natura ac summo bono diversas contrariasque sententias in scholis personabant.

Augustinus in libro de vera religione.

## Philosophia C

Philosophi eo damnabilius colebant idola, quo illa que mendaciter agebant sic agerent, ut cum populo veraciter agere existimarentur.

Augustinus libro 6. de civitate Dei.

## Philosophia D

Qui de mensa et uno regis noluerunt comedere ne polluerentur, si sapienciam atque doctrinam Babiloniorum scirent esse peccatum, numquam acquiescerent discere quod non licebant.

Hieronymus super Danielelem.

## Philosophia E

Res siquidem monstruosa est philosophus curialis, et dum utrumque esse affectat neutrum est, eo quod curia philosophiam excludit, et ineptias curiales philosophus usque quaque non recipit.

Chrysostomus libro 1. de nugis curialium et vestigiis philosophorum.

## Philosophia F

Quicumque ad scienciam contingere cupit, si relicta veritate artium reliquis se implicare volverit, materiam laboris ut ita dicam infinitam plurimam inveniet et fructum exiguum, qua propter michi videtur primum operam dandam esse artibus ubi fundamenta sunt omnium et pura simplexque veritas aperitur, et ideo errat qui relictis artibus quasdam sibi sciencias eligunt in quibus se posse fieri perfectos putant.

Hugo in diascalicon libro 3.

## Philosophia G

In philosophis enim fuit venerabilis imago virtutis, dum sine fide et dilectione virtutis substantia esse non possit, et utinam inquit inveniatur in nobis qui virtutis imaginem teneat. Quis enim umbras virtutum induit quibus videmus floruisse gentiles? Quis enim Theomestodis diligenciam, Frontonis gravitatem, Socratis continenciam, Fabricii fidem, pudiciciam Scipionis, longanimitatem Ulixis, Catonis pietatem imitatur? Qui quasi quedam seculorum suorum sidera splenduerunt, tempora sua illustrantes. Sed quia Christum non cognoverunt, in cogitacionibus suis superbia tumescentes, vera humilitate carentes, humanam gloriam appetentes et se ipsos esse sapientes estimantes et dicentes: Stulti facti sunt, ad Romanos.

Hugo ibidem 2.

## Philosophia H

O felicia antiquorum tempora in quibus ipsi imperatores mundum regentes seipsos philosophie dederunt ut patuit de Alexandro Macedone, de Iulio Cesare, de Ptolomeo rege, cuiuslibet enim regni gloria crevit in immensum quamdiu artium liberalium studio in ipso floruerunt, victoria enim milicie et gloria et philosophia simul creverunt. Et merito quia philosophia vera docet iuste et recte regnare. Per me enim reges regnant, ait Sapiencia.

Ibidem et scribit Alexander de naturis rerum.

## Philosophia I

Pisces fortasse philosophos vocat qui huius mundi naturam erratica curiositate pertractant nam sicut illi posita fronte itinera sibi resecant Pelagi inundacione confusa, ita et isti capite demisso venas rerum ratione humana assiduo labore perquirunt.

Cassiodorus super illud Psalmorum: Volucres celi et pisces maris.

## Philosophia K

Astrologiam sacrilegam summa intencione fugiamus, quam eciam nobium philosophorum iudicia damnaverunt.

Cassiodorus super Psalmum 70.

## Philosophia L

Ubi se in astrologie partem labilis error infuderit et vitas mortalium de cursu stellarum putaverit colligendas, tunc obominandi tunc pocius ceci cum se estimant providere que creator nobis utiliter decrevit abscondere.

Cassiodorus super illud Psalmorum: Appropinquant sibi.

## Philosophia M

Philosophia est disciplina omnium rerum divinarum et humanarum rationes investigans.

Tullius in libro de universalitate.

## Philosophia N

O philosophia, dux vite! O virtutis indagatrix expultrixque viciorum! Tu inventrix legum, tu magistra morum et discipline fuisti.

Tullius ibidem.

## Philosophia O

Ephitocus philosophus aiebat litteras atque doctrinas philosophie cum in hominem falsum atque degenerem tamquam in vas sputum atque pollutum influxissent veterari mutari corrumpi et ruinam fieri et inquit tandem nonnullos pecunie cupidos, glorie illectos, libidinum servos, ut cum qualitate impugnet oracio. Reprehensibile enim apud philosophos fuit profiteri vitam philosophicam et tamen non vivere secundum eam.

Agellius libro 17.

## Philosophia P

Nomen philosophi a Pytagora ortum habuit qui interrogatus quid profiteretur, verecundando philosophum, id est amatorem sapiencie se esse respondit, quoniam sapientem profiteri arrogantissimum videbatur, ita deinceps posteris placuit, ut quantumcumque quis sibi vel aliis in sapiencia excellere videretur, non nisi philosophus vocaretur.

Isidorus libro 8. ethimologiarum.

## Philosophia Q

Numquam in tantum conualescet nequicia, numquam sic contra virtutes coniurabitur, ut non philosophie nomen venerabile et sacrum maneat.

Seneca epistola 14.

## Philosophia R

Tamdiu liberalibus artibus immorandum est, quamdiu animus agere melius non potest, rudimenta sunt nostra non opera, sunt autem liberalia dicta quia libero digna.

Seneca epistola 17.

## Philosophia S

Multis ad philosophandum obstitere divicie, paupertas autem expedita est et segura. Aut ergo pauper sis, aut pauperi similis, si animo vacare vis.

Seneca ibidem.

## Philosophia T

Sic discamus ut que fuerunt verba sint opera. Nullos autem peius mereri de omnibus mortalibus iudico, quam qui philosophiam velut quoddam artificium venale discernunt, qui aliter vivunt quam vivendum esse precipiunt.

Seneca epistola 18.

## Philosophia U

Utinam quemadmodum universa mundi facies in conspectum venit ita philosophia toto nobis possit occurrere similium mundo spectaculum, profecto omnes mortales in admirationem sui raperet relictis his que nunc magna magnorum ignorantia credimus.

Ibidem.

## Philosophia X

Facere docet philosophia non dicere et hoc exigit ut ad legem suam quisque vivat, ne oracioni vita dissenciat, ut verbis opera concordent, ut ipse ubique pars sibi idemque sit observa. Si vestis tua domusque dissenciat, numquam in te liberalis sis; in tuos sordidus, numquam senes frugaliter edifices luxuriose, unam semel ad quam vivas regulam pretende, et ad illam omnem vitam tuam exequa. Quidam se domi contrahunt, dilatant foris et extendunt.

Seneca epistola 20.

## Philosophia Y

Hoc enim turpissimum est: quod nobis obiici solet. Verba philosophie non opera nos tractare.

Seneca epistola 24.